

prædictum templum ibi loci condidit, & SS. Corpori Christi consecrauit. Ad id habitant Fratres Ordinis Carmelitarū. Est quoque ibidem Monachorum Franciscanæ familiæ, qui vulgo Minores de Obseruantia dicuntur, coenobium. Ad Septentriones ecclesia est Parochialis S. Martini. In ipsa vero vrbe Coenobium est Deo dicatarum Virginum, sub Dominici regula & institutis viuientium, Anno 1595. à Præmislo Rege, Marchionum Brandenburgensium insidijs postea interfecto conditum.

In hac eadem vrbe Lubrantius, immortalis memoria dignus Episcopus non Collegium modo supradictum, sed & Academiam instituit: quam à successoribus neglectam, Adamus Conarius Episcopus non ita pridem singulari cura & munificentia restaurauit. Sed nihil illustrius, nihil ad bonarum artium mercaturam vberius atque aptius habet Posnania, quam insigne illud Societatis Iesu Collegium ad Templum B. Stanislao dedicatum: ad cuius laudem vel vnum illud factis est, quod celeberrimum illum & Theologum & omnis litteraturæ peritissimum virum, Antonium Possuinum produxit. Satrapia huius Præfectus (Palatinum vocant) cum Cracouiensi velut dignitatis prærogatiuam partitus, alternis vicibus modo priorem modo posteriorem, quum in publico confessu, tum in suffragijs ferendis, locū obtinet.

C R O S N A .



D territorium Episcopalis ciuitatis Præmisliæ (quæ etiam Castellani fulget dignitate) pertinet *Crosna* opidum, muro cinctum, quod Iasiolda fluius circumluit, Visloca vero medium interfluit, multisque commoditatibus auget & iuuat. Nomen habet ab instrumentis textorijs, quæ lingua illa *Crosna* dicuntur: quod opidum hoc pannificio nobile semper fuerit, & adhuc fit. Situm est & ipsum in confinibus Hungariæ, solo admodum fertili & amœno.

2
7C-OR-2444-2

Crosna

1010

CROSNO



1. Templum S. Iacobi.
2. Templum S. Alberti.
3. Monasterium Francisc.
4. Fara.
5. Curia.